JANI PLANCI ... DE DUPLICI TETHYI GENERE, ET DE MANU MARINA AD PIUM JANNELLIUM...

Giovanni Bianchi

Google

I. Primum igitur corpus, quod heic deſcribo, & pingi curavi, eſt illud, de quo memini in meo Tractatu de Conchis minus notis pagina quadrageſima quarta, & ad *Alcyonia* tunc, ſeu ad *Mala Citria Marina* dicta, retuli, & de quo iterum in eodem Libro nuper Romae recuſo mentionem feci in Appendice ſecunda Capite XXVIII Articulo III. in quo non probavi omnino explicationes, quas de eo dedit Vir Clariſſimus Vitalianus Donatus Profeſſor Taurinenſis, qui modo longiſſimum iter per varia Orientis loca ſuſcepit. Igitur Corpus iſtud a me modo ſic deſcribitur: *Tethyum plerumque ſphaericum malum aurantium Luſitanicum forma, & colore referens, quod horizontaliter diſſectum fibras radiatim affeas oſtendit.* Hoc igitur Corpus, quod integrum cernitur in tabula VIII. ſub Figura I & Littera A. vocatur a me Tethyum cum Ariſtotele, & Theophraſto, quòd ſemper ſit adherens ad Petrobrya B.B ut pictum eſt a me eadem figura, vel ad Scopulos & Conchas, & numquam cernatur ſolutum, ut ſupponit Vitalianus Donatus eſſe, dum eſt in juventute; omnia enim, quae vidi, vidi enim quamplurima, ſemper arcte adhaerentia rebus illis vidi, vel ſi erant ſoluta, lacera erant in ea parte baſi, qua rebus illis adhaerebant. Si enim natura ſoluta fuiſſent in juventute, ut ait Cl. Auctor ille, non *Tethya*, ſed *Holothuria* cum Ariſtotele, Theophraſto, & Rondeletio vocari debuiſſent. Ipſe igitur ea corpora vidit, ut opinor, tantum obſoleta, & non e mari recenter educta, quae ſi ita vidiſſet, ut vidi ego ſaepenumero, non reticuiſſet pulchrum Aurantii colorem, quo intus & in cute ſunt infecta, & quem aliquantulum ſervant, ſi in ſpiritu vini condantur. Propterea quod ea ſemiexſiccata viderit, fibras illas radiatas in ejus ſecunda figura B. contortas pinxit. Exſiccatione enim quodammodo

modo contorquentur. Ad marginem etiam varios cincinnos, & floſculos adjungit, quos potius ſecundum imaginationem Pictoris eſſe deformatos dixi, quam ſecundum rei naturam, ut accidit fere in omnibus figuris Libri illius. Praeterea naturale non videtur, quod ipſe aſſerit ſub numero II. Corpora iſta in juventute ſoluta eſſe, ut vera Holothuria tunc ſint, deinde in ſenectute ad ſaxa adhaerere, ut Tethya fiant. Corpora enim adhaerentia, ut videmus in dentibus, & aliis, in fructibus praeſertim univerſis, ſenectute a rebus adhaerentibus ſolvuntur, & non magis implantantur.

Tethyi hujus odor, dum Zoophyium adhuc recens eſt, piſculentus eſt, at non ingratus, ſed, ſi exſiccetur in umbra, putreſcit, & foetet, ut caro putrida; ad ſolem vero exſiccatum foetorem minus ingratum habet. Hoc Tethyi genus, ut dixi in mea ſecunda appendice modo laudata, originem præbuit, ut ſatis veroſimiliter conjicit Elias Bertrandus Bernenſis, Phoſphoro Bononienſi, qui totus ex fibris radiatim rectis, & numquam contortis conſtat, ut & alia Tethya, ſeu Holothuria oblonga originem praebuerunt Belemnitibus, quae itidem ex fibris radiatim rectis, & numquam contortis conſtant. Sed haec ſatis de primo Tethyi genere dicta ſunto. Veniamus ad alterum.

II. Tethyum igitur alterum, de quo modo ago, non durum, & oſſeum eſt in ventre, ut praecedens, ſed molle, & cavum, ut ad Zoophyta oſſibus carentia, & cartilaginea, ſeu coriacea amandari queat; Ad Tethya tamen referendum, quòd ſemper Petrobryis, vel Conchis, aliisve rebus duris haereat. Hoc notum fuit vel Rondeletio ipſi, qui libro de Inſectis, & Zoophytis capite XXIII. ſub nomine Mentulae marinae alterius ſpeciei deſcripſit, & pinxit, licet ruditer utrumque. De-

ſcriptum fuit quoque a Joanne Baptiſta Bohadſchio Pragae Hiſtoriae Naturalis Profeſſore in libro Dresdae edito anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo primo, cui titulum fecit *De quibuſdam animalibus marinis*, quae Animalia, ſeu Zoophyta ipſe in Littore Neapolitano ſex abhinc annis obſervarat, & *Tethyum Coriaceum* capite VII. non inepte appellat, ſed ejus corium punctis quibuſdam nigris totum eſt notatum, ut quaſi ex opere teſſellato conſtare videatur, quod in noſtro non apparet, neque in illo Rondeletii, neque in aliis Tethyis ejuſdem generis, quae in Tabula X. Libri ſui apponit Bohadſchius ipſe. A piſcatoribus noſtris *Tamarognolo* vocitatur, & penem virilem refert cum ſcroto, praeſertim, ſi goſſypio repletum ad ſolem exſiccetur; colore & conſiſtentia valde ſimile eſt Alcyonio digitato gelatinoſo, ſeu cartilagineo, quod Tabula X. in ſecunda Appendice Libri mei de Conchis exprimi curavi, ſed Alcyonium illud digitatum cavum non eſt. Tethyum iſtud Coriaceum ora, ſeu oſtia duo habet, unum in parte ſuperiori B. alterum in parte inferiori C. Fig. III. & recens digitis in corpore preſſum per oſtia illa duo B C. velut per duos ſilanos aquam marinam rejicit, ut rejiciunt Mentulæ illæ informes *Carnumia* Rhedio dictae, quas ego in ſecunda Appendice cap. XIX. deſcripſi, & Tabula VII. pingi curavi, quod & in ſua figura Tethyi hujus oſtendit Rondeletius. Corpus hoc diſſectum exhibet membranaceum Ventriculum Fig. IV. & V. expreſſum, qui inſtar fere eſt Ventriculi Mentulae illius informis, qui ventriculus refertus eſt aqua marina, quae preſſione, ut dixi, proſilit ex ſilanis illis per duo oſtia membranacea oſtiis coriaceis reſpondentia. In fundo D. Fig. IV. iſtius ventriculi eſt pars quaedam carnea fulvi coloris, & punctis notata, ut eſt porphyreticus lapis. Membrana

Google

brana Ventriculi conſtat ex fibris circularibus, & longitudinalibus, ut ſunt fibrae Ventriculorum Hominis, & Brutorum. Vide figuram V. Tota membrana infecta eſt colore purpureo violaceo, ſed ſordido. Bohadſchius tria alia genera hujus Zoophyti deſcribit, & in eadem Tabula X. pingit, ſed neque primi noſtri, neque reliquorum ejus anatomen internam dat, contentus ea ſuperficie tenus deſcribere, & pingere. Injuria tamen vitio mihi vertit verbis fortaſſe multis, quòd corpuſculum a me repertum inter quiſquilias maris noſtri, quod pingi curavi Tab. V. in priore mei libri editione, & quod valde ſimile eſt Tethyo ſuo, quod ipſe ponit tertio loco, quod, inquam, id corpuſculum Tethyum, ſeu Penem caninum vocitaverim, & paucis deſcripſeram. Contendit enim multis *Tethyum* non eſſe, neque *Penem Caninum* appellari debuiſſe. Verum, ſi ſpecies eſt Tethyi ſui primi, Tethyum recte a me dictum erit, ut recte ab ipſo Tethya dicti fuere corpora illa ſua tertio, & quarto loco ab ipſo picti, & meo Tethyo ſimilia, praeſertim quòd meum, ut apparet ex figura a me allata, habeat in baſi fibras laceras, quibus aliis rebus haerebat. Praeterea ſi hoc noſtrum primae ſpeciei Mentula altera a Rondeletio dictum fuit, dici poterat & a me ſecunda ſpecies, Penis caninus, ſi cum Canis Pene, ut apparet ex figura, ſimilitudinem quamdam habeat. Quare melius ſibi conſuluiſſet Bohadſchius, ſi hujuſmodi tricas in me non invexiſſet, quas fortaſſe propterea invexit, quod ego aperte ipſi dixeram Corpus illud ſuum, quod in alio Libello Pragae undecim abhinc annis edito pro veris Ovis Sepiarum venditarat, non ova Sepiarum eſſe, ſed Loliginum, & vera ova Sepiarum ea eſſe, quae vulgo Uva marina cum Rondeletio pag. 504 vocitantur, ut modo ingenue confeſſus eſt Bohadſchius ipſe

ipſa palinodiam canem in calce Libri ſui;

III. Tertio denique loco heic addere lubet Palmam, ſeu Manum marinam Botanicorum, quorum multi eam memorant, ſed nomine tenus, praeter Joſephum Ginannium Ravennatem in Tomo ejus primo poſthumo, qui eſt de Plantis marinis octo ab hinc annis Venetiis edito, ubi eam inter Fungos marinos pagina quadrageſima quinta refert, & pluribus eam deſcribit, & Tabula quinquageſima figuram ejus dat, quam tamen heic repeto, quòd Ginannii figura rudis ſit, & omnino ipſe ſileat ejus internam ſtructuram. Si enim horizontaliter ſecetur, ut factum eſt a me (*Figura VII.*) apparet tota tubuloſa, & tubulis rectis, & perpendicularibus a baſi per corpus univerſum Plantae aſſurgentibus, ut accidit in pedunculis variarum Plantarum paluſtrium, & praeſertim Nymphaeae. Quum hodie Corallia, Madreporae, & res quamplures aliae marinae, quae inter Plantas referebantur, modo e regno Florae ereptae ſint, & ad Faunae regnum ſint amandatae, ſeu inter nidos Vermium, aut inter Polypos referantur, diligenter perſcrutatus ſum hujuſmodi Tubulos, an Vermiculum aliquem continerent, at ne veſtigium quidem ullum animantis cujuſdam intra hos Tubulos reperi; Quare eos puros, & ſimplices Tubulos eſſe vidi, qui aquam marinam tantum continebant, ut in Pedunculis Foliorum Nymphaeae aqua paluſtris tantum continetur. Praeterea in Apicibus, qui per digitos hujus manus diſperſi ſunt (*Fig.* VI. & VII. *aaaaaa*) Fructificationem, ſeu Florem quemdam inveni, qui lente vitrea auctus Fig. VIII. cernitur, cujus pedunculus in *b.* geniculatus eſt. Floſculus iſte ſex Staminibus rubicundis conſtat *c. c.* & ſingula apicem habent flavum. Flores iſti a Ginannio pro totidem Papillis, quibus Planta alimentum ſugere poſſit habentur.

Verum

Verum e baſi per Tubulos alimentum ſugere poteſt; ut reliquae plantae ſugunt, & per ſtamina illa genus ſuum propagare, ut propagant Plantae omnes terreſtres.

Haec ſunt, Jannelli Amiciſſime, quae modo ad Te mitto, quae, ſi lubet, cum Academicis Phyſiocriticis communicare poteris, ut in eorum Acta referant. Vale. Datis Arimino A. D. IX. Kal. Majas Anno a Chriſto nato CIƆ IƆ CCLXIII.

Figurarum Explicatio.

Fig. I. A. Tethyum I. ſphaericum Malum Aurantium Luſitanicum referens. B.B. Petrobrya, quibus arcte haeret.

Fig. II. A. Hemiſphaerium Tethyi Horizontaliter diſſecti, ut cernantur fibrae oſſeae radiatim, & in directum a centro ad circumferentiam protenſae.

Fig III. A. Tethyum II. Cartilagineum cavum vulgo *Tamaregnolo*. B Os ſuperius Tethyi. C. Os inferius ejuſdem. D. Petrobrya quibus arcte haeret.

Fig. IV. A.A.A. Ventriculus Tethyi II. B. Os ſuperius. C. Os inferius D. D. Caro quaedam Tethyi, ſeu viſcea Fulvi coloris, & punctis notata.

Fig. V. A.A A. Idem Ventriculus Tethyi II. carne exemtus, cujus membrana eſt coloris purpureo-violacei ſordidi, & quae fibras quaſdam tranſverſales habet. B. Os ſuperius. C. Os inferius.

Fig. VI. A. A. Manus marina integra apices innumeros ſeu ſtamina gerens *a a. a a. a.*

Fig. VII. A A. Manus marina diſſecta in *b b.* ut foramina Tubulorum cernantur. *a a. a a.* Flores, ſeu Apices.

Fig VIII. A. Flos, ſeu Apex avulſus, & lente vitrea auctus ſex ſtamina *c.c.* gerens rubicunda, quae in Apice A. ſunt flava. *b.* pedunculus geniculatus

OS-

87 5 5 8



VI.



5 93 1588